



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De sacramento matrimonij, quod est in officium natura. Quæstio 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

est in Episcopo sicut in origine, non autem in sacer-
dote; quia ipse nõ confert illos ordines: & ideò magis
Episcopus, quàm sacerdos, vestibus ministrorũ vtitur.

Ad quartum dicendum, quòd loco superhumeralis
mittitur stola: quæ ad idem significandum est, ad quod
erat superhumeralis.

Ad quintum dicendum, quòd pallium succedit lo-
co rationalis.

Ad sextum dicendum, quòd pro illa lamina habet
Pontifex noster crucem, vt Innoc. dicit; sicut pro fe-
minalibus, habet sandalia; pro linea, albam; pro bal-
neo, cingulum; pro podere, tunicam; pro ephod,
amictum; pro rationali, pallium; pro cydari, mitram.

Ad septimum dicendum, quòd quamuis non ha-
beat alterius generis potestatem, tamen eandem
habet ampliozem. Et ideò ad hanc perfectionem de-
signandam, sibi pallium datur, quo vndique circum-
datur.

Ad octauum dicendum, quòd Romanus pontifex
non vtitur baculo: quia Petrus misit ipsum ad susci-
piendum quendam discipulum suum, qui postea factus
est Episcopus Treuerensis: & ideò in diocesi Treue-
rensi Papa baculum portat, & non in alijs locis: vel
etiam in signum, quòd non habet coarctatam potesta-
tem: quod curuatio baculi significat.

QVÆST. XLI.

De sacramento matrimonij ¶, in quatuor ar-
ticulos diuisa.

† Concil.
Trid. ses.
24 de sa-
cram. ma-
trimonij.

Post hæc considerandum est de matrimonio. Et
primo agendum est de eo, in quantum est in of-
ficium naturæ. Secundo, in quantum est sacramen-
tum. Tertio, in quantum absolute, & secundum se
consideratur.

- ¶ Circa primum quærentur quatuor.
- ¶ Primo, vtrum sit de iure naturali?
- ¶ Secundo, vtrum cadat sub præcepto?
- ¶ Tertio, vtrum eius actus sit licitus?
- ¶ Quarto, vtrum possit esse meritorius?

AR-

170
Tho. 4. d.
26. q. 1.
ar. 1.

Vtrum matrimonium sit de iure naturali?

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd matrimonium non sit naturale. Quia ius naturale est, quòd natura omnia animalia docuit. Sed in alijs animalibus est coniunctio sexuum absque matrimonio. Ergo matrimonium non est de iure naturali.

¶ 2 Præterea, Id quòd est de iure naturali, inuenitur in omnibus hominibus secundum quemlibet eorum statum. Sed matrimonium non fuit in quolibet statu hominũ; quia sicut dicit Tullius in primo Rhetoricorum *, homines à principio syluestres erant, & tunc nemo sciuit proprios liberos, nec certas nuptias: in quibus matrimonium consistit. Ergo non est naturale.

¶ 3 Præterea, Naturalia sunt eadem apud omnes. Sed non eodem modo est matrimonium apud omnes, cum pro diuersis legibus diuersimode matrimonium celebretur. Ergo non est naturale.

¶ 4 Præterea, Illa fine quibus potest saluari naturæ intentio, non videntur esse naturalia. Sed natura intendit conseruationem speciei per generationem, quæ potest esse sine matrimonio, vt patet inu fornicarijs. Ergo matrimonium non est naturale.

SED contra est, quòd in principio Digestorum dicitur †: Ius naturale est maris & feminae coniunctio quam nos matrimonium appellamus.

¶ Præterea, Philosophus in 8. Ethic. * dicit, quòd homo magis est naturaliter coniugale animal, quam politicum. Sed homo est naturaliter animal politicum & gregale, vt ipse dicit †. Ergo naturaliter est coniugale: & sic coniugium siue matrimonium est naturale.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid dicitur esse naturale dupliciter. Vno modo, sicut ex principijs naturæ ex necessitate causatum, vt moueri sursum est naturale igni: & sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum quæ * mouente libero arbitrio

lib. 1. de
Inuent.
circa pr.

in digesto
veteri li.

1. tit. 1.

leg. 1.

* lib. 3. c.

12. à me.

† Arist.

3. eth. c.

12. à me.

alias, me
dianq.

rio completur. Alio modo, dicitur naturale, ad quod natura inclinatur, sed mediante libero arbitrio completur: sicut actus virtutum dicuntur naturales. Et hoc modo matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinatur dupliciter. Primo, quantum ad principalem eius finem, qui est bonum prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis: sed etiam translationem & promotionem usque ad perfectum statum hominis: in quantum homo est, qui est verecundus status. Vnde secundum Philosoph.* tria à parentibus habemus, scilicet esse, nutrimentum, & disciplinam. Filius autem à parente educari & instrui non potest, nisi determinatos & certos parentes haberet; quod non esset nisi esset aliqua obligatio viri ad matrem determinatam, quæ matrimonium facit. Secundo, quantum ad secundarium finem matrimonij, qui est mutuū obsequium sibi à coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dicitur, ut homines simul cohabitent, quia vnus non sufficit sibi in omnibus quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam eorum quibus indiget ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. Vnde natura monet ut sit quædam viri ad mulierem associatio, in qua est matrimonium. Et hæc duas causas ponit Philosophus in octavo Ethicorum.*

Ad primum ergo dicendum, quod natura hominis ad aliquid inclinatur dupliciter. Vno modo, quia est conueniens naturæ generis: & hoc est commune omnibus animalibus. Alio modo, quia est conueniens naturæ differentiæ: qua species humana abundat à genere, in quantum est rationalis: sicut est actus prudentiæ, vel temperantiæ. Et sicut natura generis, quantum sit vna in omnibus animalibus, non tamen eodem modo est in omnibus: ita etiam non inclinatur eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Ad matrimonium ergo inclinatur natura hominis

† Al. virtutes.

li. 8. eth. cap. 12. à med. & c. 11. circa prin.

li. 8. eth. cap. 12. à med. illa²

*lib. 8. eth.
cap. 12. d
med. &
lib. 1. Pol.
c. 1. circa
med.*

ex parte differentia, quantum ad rationem secundam assignatam: unde Philosophus * hanc rationem assignat in hominibus supra alia animalia. Sed quantum ad rationem primam, inclinatur ex parte generis: unde dicit, quod filiorum procreatio communis est omnibus animalibus. Tamen ad hoc non inclinatur natura eodem modo in omnibus animalibus: quia quedam animalia sunt, quorum filij nati, statim possunt sufficienter sibi victum querere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit: & in his non est aliqua natura ad feminam determinatio. In illis autem, quorum filij indigent vtriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, inveniuntur aliqua determinatio quantum ad tempus illud: sicut in avibus quibusdam patet. Secus homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio naturali ad feminam, ad quam etiam natura generis inclinatur.

in arg. 2.

Ad secundum dicendum, quod verbum Tullij potest esse verum quantum ad aliquam gentem, si accipiatur principium proximum illius gentis, quod ab alijs gentibus est distincta: quia non in omnibus perducitur ad effectum id, ad quod naturalis inclinatio inclinatur. Non autem est verum, vniuersaliter a principio humani generis, sacra Scriptura recitasse coniugia.

*lib. 7. eth.
non pro
cul a fin.
lib.*

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in 7. Ethic. * Natura humana non est immutabilis sicut divina: & ideo diversificantur ea que de iure naturali, secundum diversos status & conditiones hominum: quamvis ea que sunt in rebus divinis, naturaliter nullo modo variantur.

*art. prac.
in corp.*

Ad quartum dicendum, quod natura non tantum intendit esse, in prole, sed etiam perfectum esse: quod exigitur matrimonium, ut ex didicimus patet.

Unum matrimonium cadat sub precepto ?

171

*Tho. ubi
sup. ar. 2*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod ma-
trimonium adhuc maneat sub precepto. Quia
preceptum obligat, quamdiu non reuocatur. Sed prima
institutio matrimonij fuit sub precepto, vt in littera *
dicitur: nec vnquam hoc preceptum legitur reuoca-
tum, immo confirmatum. Matth. 19. Quos Deus con-
iunxit, homo non separet. Ergo adhuc matrimonium
est sub precepto.

** in 4 s. n
tent. d. 26
S. C.*

¶ 2 Præterea, Præcepta iuris naturalis secundum
omne tempus obligant. Sed matrimonium est de iure
naturali, vt dictum est *. Ergo, &c.

art. præc.

¶ 3 Præterea, Bonum speciei est melius, quàm
bonum indiuidui: quia bonum gētis est diuinius quàm
bonum vnus hominis, vt dicitur in 1. Ethic. * Sed
preceptum primo homini datum ad conseruationem
indiuidui per actum nutritiuæ, adhuc obligat. Ergo
multo magis preceptum de matrimonio, quod per-
tinet ad conseruationem speciei.

*lib. 1. c. 2.
circa fin.
illius.*

¶ 4 Præterea, Vbi manet eadem ratio obligans,
eadem obligatio manere debet. Sed propter hoc obli-
gatur homines ad matrimonium antiquo tem-
pore, ne multiplicatio humani generis cessaret. Cùm
ergo hoc idem sequatur, si quilibet libere potest à
matrimonio abstinere, videtur quod matrimonium
est in precepto.

¶ 5 Contra est, quod dicitur 1. Cor. 7. Qui non
iungit matrimonio virginem suam, melius facit, scili-
cet, quàm qui iungit. Ergo contractus matrimonij
nunc non est sub precepto.

¶ 6 Præterea, Nulli debetur præmium pro transgres-
sione precepti. Sed virginibus debetur speciale præ-
mium, scilicet aureola. Ergo matrimonium non est
sub precepto.

RESPONDEO dicendum, quod natura inclinatur ad
matrimonium dupliciter. Vno modo, sicut ad id quod est
necessarium ad perfectionem vnus: & talis inclina-
tio

tio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo, inclinatur ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis: & cum multa sint huiusmodi, quorum vnum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam & ædificatoriam, & ad huiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ. Sed inclinationi naturæ satisficit, cum per diuersos diuersa de prædictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos cõtemplatiuæ vitæ inferuire, quæ maxime per matrimonium impeditur: inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam secundum Philosophos. Vnde Theophrastus probat, quòd sapienti non expedit nubere.

id ex illo refert

Hier. li. 1

cont. Iouianum,

in fo. 2.

ante finē

lib. to. 2.

† in cor.

huius ar.

** in hoc*

art.

† in corp.

art.

Al. con-

tingit.

Ad primum ergo dicendum, quòd præceptum illud non est reuocatum, nec tamen obligat vnumquemque, ratione iam dicta †: nisi illo tempore quo prædicta citas hominum exigebat, vt quilibet generationi careret.

Ad secundum, & tertium patet solutio ex dictis. Ad quartum dicendum, quòd natura humana communiter ad diuersa officia & actus inclinatur, vt dictum est †. Sed quia est diuersimode in diuersis, secundum quod indiuiduatur in hoc vel in illo, vnum magis inclinatur ad vnum illorum officiorum, & aliud magis ad aliud; ex diuersitate complexionum diuersorum indiuiduorum. Et ex hac diuersitate simul cum diuina prouidentia, quæ omnia moderatur*, conuenit cuius vnus eligat vnum officium, vt agriculturam: alius aliud. Et sic etiam contingit quòd quidam eligant matrimonialem vitam, & quidam contemplatiuam. Vnde nullum periculum imminet.

ARTIC. III.

172

Vtrum actus matrimonij sit licitus?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd actus matrimonialis semper sit peccatum. Dicitur enim

1. Cor. 7. Qui nubunt, sicut tamquam non nubentes. Sed non nubentes non * habent actum matrimonialem. Ergo etiam nubentes peccant in actu illo.

¶ 2 Præterea, Isa. 59. Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Sed actus matrimonialis diuidit hominem à Deo: unde Exod. 19. præcipitur populo, qui debebat Deum videre, quod non accedere ad vxores suas. Et Hieron. † dicit, quod in actu matrimoniali Spiritus sanctus prophetarum, creda non tangit. Ergo est iniquitas.

¶ 3 Præterea, Illud quod secundum se est turpe, nullo modo potest bene fieri. Sed actus matrimonialis semper habet concupiscentiam adiunctam, quæ semper turpis est. Ergo semper est peccatum.

¶ 4 Præterea, Nihil excusatur nisi peccatum. Sed actus matrimonialis indiget excusari per bona matrimonij, vt Magister dicit *. Ergo est peccatum.

¶ 5 Præterea, De similibus specie idem est iudicium. Sed concubitus matrimonialis est eiusdem speciei cum actu adulterij: quia ad idem terminatur, scilicet speciem humanam. Ergo cum actus adulterij sit peccatum, & actus matrimonij similiter.

¶ 6 Præterea, Superfluitas in passionibus corrumpit virtutem. Sed semper in actu matrimoniali est superfluitas delectationis, adeo vt absorbeat rationem, quæ est principale hominis bonum: unde Philosophus dicit in 7. Ethic. * quod impossibile est hominem aliquem in ipsa intelligere. Ergo actus matrimonialis semper est peccatum.

SED contra, 1. Corinth. 7. dicitur, Si nupserit vir, non peccauit. Et 1. Tim. 5. Volo iuniores nubere, vt procreent filios. Sed procreatio filiorum non potest esse sine carnali coniunctione. Ergo actus matrimonialis non est peccatum, alias Apostolus non voluisset illud.

Præterea, Nullum peccatum est in præcepto. Sed actus matrimonialis est in præcepto, 1. Cor. 7. Vxori debitum reddat. Ergo non est peccatum.

Supplementum. Z R E-

Al. ex: cent.

in epist. de monogamia à med. illi⁹ to. 1.

li. 4. sent. d. 31. §. F.

lib. 7. eth. c. 11. circa fin.

** Al. fieri.*

RESPONDEO dicendum, quòd supposito quòd natura corporalis sit à Deo, bona instituta: impossibile est dicere, quòd ea quæ pertinent ad conseruationem naturæ corporalis, & ad quæ natura inclinatur, sint vniuersaliter mala. Et ideò cum inclinatio sit naturæ ad proles procreationem, per quam natura speciei conseruatur: impossibile est dicere, quòd actus quo procreatur proles, sit vniuersaliter illicitus, nisi in eo medium virtutis inueniri non possit: nisi potestur, secundum quorundam insaniam, quòd res corruptibiles creatæ sunt à malo Deo: ex quo forte detrahatur illa opinio quæ in littera tangitur, & ideò est pessima hæresis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus in illis verbis illis non prohibuit matrimonij actum: sed nec rerum possessionem, cum dixit, Qui vtuntur mundo, sint quasi non vtentes; sed in vtroque institutionem prohibuit: quòd patet ex ipso modo locuti di. Non enim dixit, sint non vtentes, vel non habentes: sed, quasi non vtentes, vel non habentes.

Ad secundum dicendum, quòd Deo coniungitur & secundum habitum gratiæ, & secundum actum contemplationis & amoris. Quòd ergo primam coniunctionem separat, semper est peccatum, non semper autem quòd secundam: quia aliqua occupatio licita circa res inferiores animum distrahit, vt actus Deo coniungi non sit idoneus: & hoc præcipue accidit in carnali coniunctione, in qua derelinquitur propter delectationem inensam. Et propter hoc illis quibus competit diuina contemplari, aut de tractare, indicitur pro tempore illo abstinentia à vxoribus. Et secundum hoc etiam dicitur, quòd Spiritus sanctus, quantum ad actum reuelationis creatorum, non tangebatur mentes Prophetarum nisi vsu matrimonij.

Ad tertium dicendum, quòd turpitudine illa concupiscenciæ, quæ actum matrimonialem semper committitur, non est turpitudine culpæ, sed peccati, ex pro-

terto primo proueniens; vt scilicet inferiores vires, & membra corporis, rationi non obediunt. Et propter hoc ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod illud proprie excusari dicitur, quod aliquam similitudinem mali habet, & tamen non est malum, vel non tantum quantum apparet: quia quædam excusantur a toto, quædam a tanto. Et quia actus matrimonialis, propter corruptionem concupiscentiæ, habet similitudinem actus inordinati: ideo per bona matrimonij excusatur a toto, vt non sit peccatum.

Ad quintum dicendum, quod quamuis sint idem speciei naturæ, tamen differunt in specie moris, quam vna circumstantia variat, scilicet accedere ad suam vel non suam: sicut etiam occidere hominem per violentiam vel per iustitiam, facit diuersam speciem moris, quamuis sit vna species naturæ; & tamen vnum est licitum, aliud illicitum.

Ad sextum dicendum, quod superfluitas passionis, qua virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum: sed etiam tollit rationis ordinem. Quod non facit delectationis intensio in actu matrimoniali: quia est tunc non ordinatur homo, tamen est a ratione præordinatus.

ARTIC. I V.

Utrum actus matrimonij sit meritorius?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod actus matrimonialis non sit meritorius. Chrysofost. 1^o dicit super Matth. Matrimonium etsi videntibus penam non inferat, mercedem tamen non præstat. Sed meritum respectu mercedis dicitur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

¶ 2^o Præterea, Illud quod est meritorium dimittitur, non est laudabile. Sed laudabilis est virginitas, per quam matrimonium dimittitur. Ergo matrimonialis actus non est meritorius.

¶ 3^o Præterea, Qui vitur indulgentia sibi facta, beneficio recepto vitur. Sed ex hoc, quod alicui

Z a præ-

173

Tho. ubi
sup ar. 4.
* hom. 1.
in opere
imperfe-
cto, super
illud, Cui
esset de-
sponsata
10. 20.

præstatur beneficium, non meretur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

¶ 4 Præterea, Meritum in difficultate consistit, sicut & virtus. Sed actus matrimonialis non habet difficultatem, sed delectationem. Ergo non est meritorius.

¶ 5 Præterea, Illud quod non potest fieri sine peccato veniali, numquam est meritorium: quia non potest homo simul mereri & demereri. Sed in actu matrimoniali semper est peccatum veniale, quia cum primus motus in huiusmodi delectationem est peccatum veniale. Ergo actus prædictus non potest esse meritorius.

SED contra, Omnis actus quo impletur præceptum est meritorius, si ex charitate fiat. Sed actus matrimonialis est huiusmodi: quia dicitur 1. Corinth. 7. Vxori vir debitum reddat. Ergo, &c.

¶ Præterea, Omnis actus virtutis est meritorius. Sed actus prædictus est actus iustitiæ, quia dicitur redditio debiti. Ergo est meritorius.

RESPONDEO dicendum, quod cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens sit indifferens, ut in secundo libro dictum est; actus matrimonialis semper est peccatum, vel meritorius, in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inclinatur; vel iustitiæ, ut debitum reddat; vel religionis,

vide August. de bono coniug. c. 6. et 17 to. 7.

ut proles ad cultum Dei procreetur; est meritorius.

Si autem moueat libido sistens intra bona matrimonij, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet; est peccatum veniale. Si autem extra bona matrimonij efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem mouere non potest, quin vel ordinetur ratione; & sic erit motus virtutis: vel non ordinetur; & sic erit motus libidinis.

Ad primum ergo dicendum, quod radix merendi quantum ad premium substantiale, est ipsa charitas; sed quantum ad aliquod accidentiale premium, ratio meriti consistit in difficultate actus; & sic actus matrimonialis.

matrimonij non est meritorius, sed primo modo.

Ad secundum dicendum, quod homo potest mereri, & in minoribus bonis, & in maioribus: unde, quod aliquis minora bona dimittit, ut maiora faciat; laudandus est, à minus meritorio actu discedens.

Ad tertium dicendum, quod indulgentia quandoque est de minoribus malis; & sic indulgetur actus matrimonij, prout ad ipsum movet libido intra terminos matrimonij consistens: sic enim est veniale peccatum. Sed prout ad ipsum movet virtus, sic est meritorius; & non habet indulgentiam nisi secundum quod est indulgentia de minoribus bonis, quæ idem est quod concessio. Nec est inconueniens, quod ille qui tali concessione utitur, mereatur: quia bonus usus beneficiorum Dei meritorius est.

Ad quartum dicendum, quod difficultas laboris requiritur ad meritum præmij accidentalis: sed ad meritum præmij essentialis, requiritur difficultas consistens in ordinatione mediij: & hoc est etiã in actu matrimoniali.

Ad quintum dicendum, quod primus motus secundum quod dicitur peccatum veniale, est motus appetitus in aliquid inordinatum delectabile, quod non est in actu matrimoniali: & idè ratio non sequitur.

QVÆST. XLIII.

De matrimonio, in quantum est sacramentum, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de matrimonio, in quantum est sacramentum.

Circa quod quaruntur quatuor.

Primo, utrum sit sacramentum?

Secundo, utrum debuerit institui ante peccatum?

Tertio, utrum conferat gratiam?

Quarto, utrum carnalis commissio sit de integritate matrimonij?

ARTIC. I.

Utrum matrimonium sit sacramentum?

Primum sic proceditur. Videtur, quod matrimonium non sit sacramentum. Omne enim

z 3 sacra-

De hęc indulgentia Apostol. 1. Corinth. 7.

174
Tho. ubi sup. ar. 1. c. 9.
Conc. Trid. sess. 24. de sacram. ma- tri. can. 1 lib. 1. de sacr. p. 9. c. 1. non longe à primis.